


LVNÆ DIE 18 M. AVGVSTI A. 2003

A.d. XV Kal. Septembres a. MMIII



I I 5

M E L I S S A



FOLIA PERENNI LATINITATI DICATA
AUSPICIS DOMUS ERASMIANA CURAQUE FUNDATIONIS MELISSAE
SEXIES IN ANNO EDITA

EDITOR RESPONSALIS
Gaius Licoppe

COMPOSITRIX
Francisca Deraedt

Avenue de Tervueren, 76, Tervurenlaan, B - 1040 Bruxellis.
Tel. + 32 (0) 475.47.55.18 / guy.licoppe@pophost.eunet.be / www. melissa.int.ms
Bureau de dépôt : 1040 Bruxelles 4 / Afgifte kantoor 1040 Brussel 4

LINGVA LATINA IN MVSEO ERASMI PER SE ILLVSTRATA

Non iam necesse est libros Iohannis Ørberg, quibus titulus est *Lingua Latina per se illustrata*, laudibus tollere. Nemo enim iam est, quin sciat hanc vivam methodum mirabiliter proficere ad linguam Latinam naturaliter, ut ita dicam, descendam. Multis in regionibus, sicut in Italia et in Francogallia, Ørbergiana docendi ratio pollet ; in Belgica autem adhuc repugnant omnipotentes institutionis inspectores, quamquam hæc methodus iam diu dedit sui documentum. Ceterum tibi librum evolventi iam statim occurront eius virtutes : fabula continuata, vocabula sive imaginibus sive aliis verbis explicata, grammatica Latine et simpliciter exposita, difficultatum gradatio eximie excogitata. ¶ Hoc tamen anno comperi aliud esse hos libros admiranter evolvere, aliud rem experiri. Cum Gaio Licoppe occasio data est in Museo Domus Erasmianæ a mense Octobri Latine docendi, primam prelectionem plumbeis, ut ita dicam, pedibus adi, timens ne simplicissimis sententiis – « Roma in Italia est, Italia in Europa est... Ubi est Italia ? Italia... » – tædio brevi perirem. Iam secreto decreveram me tempus non habituram esse singulis septimanis participandi... Errabam. Mox enim progressionē capta sum, novitate, perspicuitate. Post unam horam semis, participes, qui vix quicquam antea audiverant de lingua Latina, non solum sciebant Italiam esse in Europa, sed insuper non pauca nomina locorum, nonnullos numeros et nonnullos casus primæ secundæque declinationis didicerant atque consuetudinem iam iunxerant cum familia Romana, quacum totum annum erant victuri. Quod sic factum erat, sensim sine sensu, tamquam si res esset evidens. ¶ Sæpe audivi historiam, qua primus liber (*Pars I : Familia Romana*) est constitutus, esse nimis infantilem discipulisque ridiculam videri. Homines autem, qui in Domo Erasmi Latine discunt, sunt adulti, nec umquam dixerunt se ab auctore infantiliter tractari, nec dederunt sunt de naso ancillæ aut de pueri malitia ridere. Ceterum quis vellet dissertationes maxime philosophicas lingua sibi nondum satis nota statim aggredi ? In themate proposito sicut in grammatica fieri non potest ut initia non sint simplicia.

¶ Participes textum legunt et in Francogallicum transferunt. Ab initio didicerunt vocabula Latina recte pronuntiare, adiuvantibus signis supra vocales longas positis. Si quid novi appareat, plerumque statim recte convertunt : tam dilucidus est contextus. Postea comperiunt se nescientes recte interpretatos esse vocem passivam, accusativum cum infinitivo, propositionem finalem. Magister plerasque exercitationes prætermittere solet, persuasum habens assiduam lectionem cetera exercitia longe superare. ¶ Nihil tamen fit sine aliquo

sudore, atque mox appetet linguam Latinam « per se illustratam » non significare « per se inculcatam ». Etsi magister non petit, ut participes quicquam ediscant, oportet domi præteritas lectiones iterum iterumque legant nisi demergi volunt. ¶ Iuvat etiam cognoscere qua ratione homines, quibus nulla est necessitas linguae Latinæ addiscendæ, qui vespere possint ante televisorium commode sedere aut quibus præterea est familia curanda, statuant omni Mercurii die vesperam talibus studiis dicare. Mater quædam familias duos liberos habet, quibus lingua Latina aliquando erit in schola discenda : itaque se præparare vult ad eos adiuvandos. Alii iam diu cupiebant otium agere litteratum. Virum quendam rude donatum pænitiebat, quod eruditioni suæ deerat Latinitas ; is uxorem secum attraxit, quæ primo die statim nuntiavit se maritum solum visendi causa secutam esse, se postea non iam ventram esse, sibi senescenti non iam esse memoriam satis firmam. Eadem tamen postera septimana iterum adfuit, visendi causa, atque anno transacto nunc pæne est omnium optima. ¶ Urbs Bruxellæ, quæ propter sedem Unionis Europææ nonnulla incommoda pati solet – sicut protestationes populares visitationesve regentium, quibus tota urbs paralysi non raro corripitur –, nihilominus etiam delectat peculiari populorum mixtura. Sic fit ut institutione Latina congregentur homines non solum e Belgica, sed etiam e Germania, Francogallia, Italia, America Meridionali oriundi. ¶ Nonnulli autem incepit ante finem anni deposuerunt, sive aliis occupationibus deducti, sive animi defectione, sive etiam rubore, ut ille adulescens qui, postquam magna voce diu clamavit rem esse nimis facilem, difficultates confiteri non est ausus. ¶ Atque superstitibus mense Maio ecce iam præmium est oblatum : primum enim textum authenticum legere licuit, qui excerptum erat ex Evangelio secundum Matthæum. Res mira : tres participes, qui pro diligentia sua solent lectiones domi præparare (id quod non petitur), missale suum inspexerant, scire gestientes utrum in libro scholari textus mutatus esset necne. Postea mox præbita sunt carmina Ovidiana et Catulliana. Qua alia methodo sperare licet discipulos sic profecturos esse, postquam totum annum semel in septimana per unam horam semis, non magis, Latine erunt eruditæ ? ¶

Francisca DERAEDT

RECORDATIO ÆSTIVA

- *scripsit Gaius Licoppe* -

Quinto iam anno Francisca egoque Ferias Ferigolentenses petimus ; hoc anno incohatae sunt die 23 m. Iuli. Superiori anno, Feriis peractis, earum curatorem Iohannem-Claudium Champeau reliqueramus mala valetudine utentem. Idem integrum annum gravissimam curationem fortiter subiit, atque magno cum gaudio eum iterum vidimus multo melius se habentem Feriasque curantem. Æstus hoc anno fuit extraordinarius ; tanta hic fuit siccitas, ut multæ arboreis folia iam perdiderint. Feliciter in cecis nostris sessionibus reservatis temperatura erat bona. Triginta circiter adfuerunt participes, non pauci veterani sed etiam multi novi, quorum alii a Dominico Viain allecti sunt, alii Ferias per interrete invenerunt.

Feriarum consuetudines paulatim mutantur ; plus temporis in annos tribuitur exercitationibus Latinis, quæ tironibus multum prosunt ; eæ in oœco proprio habentur, docente Francisca, dum ceteri de variis argumentis disceptando loquelas exercent et locupletant. Tuomo Pekkanen, qui Ferias partim participavit, legit explicavitque nonnulla carmina maximi poetæ Finni Eino Leino, quæ in Latinum vertit versibusque rhythmicis reddidit ; mox in lucem edetur hæc translatio. Vespere, post cenam sub divo sumptam, in horto circa Doridem et Antonium Wagner multi congregabantur ad cantandum.



Maria-Antonina Avich, fidelissima particeps, quæ Iohannem-Claudium Champeau multum adiuvit ad Ferias parandas, etiam excursionem curavit « In vestigiis Marcelli Pagnol » intitulatam. Participes autoræda longa vecti oppidum Aubagne, non longe a Massilia situm, petiverunt, ubi in « Parvo mundo Marcelli Pagnol », qui dicitur, eius vita operaque photographe-matis, topiis et sanctulis (v. santons) illustrantur. Inde participes circumdata loca lustraverunt, quæ ad vitam scriptoris pertinent et ubi actæ sunt eius pelliculæ cinematicæ.

Feriis vix peractis, de proximo anno iam constitu-

tum est : ut aliquid temporis intersit inter Conventiculum Lexingtonianum et Ferias, eæ habebuntur a die 28 m. Iulii in diem 4 m. Augusti.

Non soli censemus seminaria in variis et quam maxime attractivis locis esse instituenda. Cum L.V.P.A. seminarium in monasterio Sanctæ Crucis prope Vindobonam habere statuit, hic saltus Vindobonensis nobis visus est et amoenus et orientalibus nationibus proximus ; quare, annuente Inga Pessarra-Grimm L.V.P.A.e præside, hoc seminarium una cum ea instituimus. Plus octoginta homines e novem nationibus oriundi ad participandum nomen dederunt, quorum tertia circiter pars a Melissa allecta est.

Seminarium fuit festivum, ut mos est apud Lupanos. Initium et finis sollemniter actus est in splendida « Aula Imperatoris ». Verba inauguralia protulit prof. Alfonsus Weische, primam acroasim fecit Horatius Antonius Bologna. Maxima sollemnitas pars musicæ dedita est : delectati sumus a compluribus cantorū gregibus, inter quos etiam erant musici Poloni, sed præsertim ab eximio tricinio, in quo Raphael Feye violoncello, Alexander Feye violina, Paulina Caplier clavili cecinerunt.



Duæ excusiones integri diei factæ sunt. Imprimis participes ipsam Vindobonam lustraverunt, ducibus participibus Vindobonensis circuli Latini ; huius excursionis terminus fuit in hortis palatii Schönbrunn apud statuam equestrem imperatoris Iosephi II, ad quam prof. Curtius Smolak, universitatis Vindobonensis, vivida oratione exposuit Iosephum II hac statua clipeisque circumpositis se ostendere voluisse ut novum Marcum Aurelium. Altera excursione licuit Carnunti vestigia Romana invisere necnon vina Austriaca gustare. Præterea multæ factæ sunt acroases, ita ut tempus scholis exercitationibusque relictum esset satis angustum.

De institutione, nostro sensu, magis erit curandum in futuris seminariis. ☒

DE RENOVATA BRENDANI NAVIGATIONE (II)

- *scripsit Gaius Licoppe* -

Timotheus feliciter invenire potuerat homines peritos qui scienter adiuwarent ad curucum mediævalem construendum ; nemo tamen iam sciebat quomodo dirigendus esset magnus curucus velifer ; hoc ipse experiri debuit. Cautus Timotheus primum voluit navigationem experiri in tranquillo lacu. Levis ventus flabat ; pancis velis, curucus satis celeriter propellebatur ; oportuit tamen ante ripam flectere, sed hoc non feliciter factum est ; non enim libenter flectebat curucus, quare eius cursus finem habuit in arundinosa ripa !

Ex multis experimentis Timotheus collegit « Brendanum » solum navigare posse vento a puppi flante ; ad flectendum longus remus, in puppi dispositus, erat movendus. Etiam sine velis, quattuor viris remis contendentibus, navicula non valebat contra ventum ire ; solum ergo ventum secundum nactus in optatam regionem ire poterat.

Timotheus statuerat maritimam navigationem incohare die 16 mensis Maii, i.e. ipso die festo Sancti Brendani. Quod tamen tempestas non sivit : postero tantum die « Brendanus » solvere potuit ; pulsu remorum e sinu Brandon Creek vocato exiit, dum magna hominum multitudo de altis rupinibus spectat et vota clamamat.

Quinque viri in curucu navigabant, omnes athletici et audaces. Timotheum Severin comitabantur Georgius Londiniensis, Rodolphus Norvegus, Arthurus Hibernus et Petrus Anglus. Dum undæ curucum sursum et deorsum movent, carina paululum torquebatur cum stridore malorum ligationes fricantium.

Commodum non erat in scapha tam exigua atque stega carenti pernoctare. Solum media curuci pars tentorio plus minusve protegebatur. Tot impedimenta spatium implebant, ut vix quattuor viri eodem tempore recumbere et quiescere possent.

Cum post navigationem unius diei semis insulas Aran hodie vocatas conspicerent, mirantes viderunt duos parvos curucos remis appropinquantes. Erant piscaiores, qui eos statim interrogaverunt num essent isti audaces, qui Americam petituri essent. Certiores facti, iucundum adventum in insulas « Brendano » optaverunt atque magnam cancerorum copiam nautis dono dederunt.

Inter biduanam stationem, « Brendani » nautæ minimam insulam lustraverunt, nunc desertam, sed ubi sexto saeculo vixerat Sanctus Mac Dara ; minima capella supererat, quæ inter antiquissimas Hiberniæ numeratur. Ut primi monachi Christiani in Oriente, qui a mundo recesserant et in arenaceas solitudines se contulerant ut Deo propiores fierent, monachi Hiberni loca


ad meditationem apta quæsiverunt in minimis inhospitalibusque insulis, quas circumdabant solitudines maris. Complura monasteria exstiterunt in insulis Aran, quorum unum adiit Sanctus Brendanus, sicut legitur in Navigatione.

Paulo post insulas Aran relictas, tanta tempestas coorta est, ut curucum gubernari iam nequiret ; dum imbræ torrentis modo effunduntur, navigium duos dies vento repulsum est in altum Atlanticum. Arthurus et Petrus, frigore et nausea confecti, inertes iacebant. Petrus tam male se habebat atque brachii læsi doloribus ita affectus erat, ut Timotheus decerneret auxilium radiophono petere. Navis piscatoria ad eos missa curucum remulcavit et in parvum portum litoris septentrionalis Hiberniæ duxit. Ibi medici censuerunt fieri non posse ut Petrus navigationem pergeret. Non autem desunt in his regionibus impavidi nautæ ; quare sine magna difficultate Timotheus aliquem invenit, qui eos libenter comitaretur usque in Scotiam.

Ne « Brendani » experimentalis navigatio manca videretur, curucus remulcatus est in altum atque relitus in eodem fere loco ubi navis piscatoria ei auxilium tulerat. Inde feliciter processit usque insulam Ionam, ubi statio facta est. Ad eam Sanctus Colomba anno 536 curucum suum appulerat atque magnam abbatiam considerat, unde monachi Hiberni profecti erant ad Scotiam Angliamque septentrionalem evangelizandam. Timotheus eiusque comites Sinum Martyrorum inviserunt, ubi piratae Vikingi abbatiam populati sunt, monachos trucidaverunt, eorumque cadavera in ora maris reliquerunt putrescentia. Post Vikingorum incursiones annis 795, 802 et 806 iteratas, monachi insulam reliquerunt.

Res mira, abbatia nova exstructa est in ruinis abbatiæ duodecimi saeculi, ubi tunc vivebat singularis communitas ex anglicanis, baptistis et catholicis constans, quæ operam dabat ad actionem precepsque Christianam in mundo provehendam. Erant etiam sodales foris viventes, quorum multi quotannis unam septimanam degebant in insula ad animos refocillandos. Communitatibus superior « Brendani » nautas humaniter invitavit ad prandium in suo refectorio sumendum.

Vir, qui Petri munus assumpserat, ad officium suum redire debebat. Feliciter quidam hirsutus gesticulansque Timotheo obviam iit eumque his verbis interrogavit : « Esne tu nauclerus huius incredibilis scaphæ ? Multum re vera mihi placet ! Audivi te nautam quærere... ». Timotheus Edan Kenneil adspiciebat : dilapsas gerebat vestes et nudis pedibus ambulabat ; possidebat veterem celocem, quo periegetas per insulas Hebudes (v. *Hébrides*) vehebat. Iste vir videbatur nihil



timere. Cum Timotheus eum accepisset, tandem interrogavit : « Sed dicas mihi, quæso, quo tendatis. » !

Relicta Iona, « Brendani » nautæ ad insulas Hebudes velificaverunt. Cum noctu ad earum proximam, Tiree vocatam, appropinquarent litusque nimis sero adspicerent, curucus necessario propulsus est in aquas vadossas, ubi magnum instabat periculum ; timendum enim erat ne saxa latentia corium lacerarent. Hac occasione Timotheus experiri potuit quanto emolumento esset curucum non plus quam 30 centimetris infra maris libram descendere. Nam cæca saxa sine vulnere transire potuit. In hac insula Sanctus Brendanus abbatiam condiderat, Ionæ abbatiæ filiam.

Hebudes insulas celerrime præterit « Brendanus » ; nam a vehementibus oceani Atlantici fluctibus insulis protectus optimumque ventum nactus, curucus summas undas leviter perlabebat velocitate septem decemve nodorum. Stationem fecit in portu Stornoway, Hebdum maxime septentrionali.

Insequens iter maritimum certe non futurum erat æque iucundum. Nam trecenta viginti chiliometra ad minimum erant in alto emetienda ad insulas Ovinas (v. *Får Øer*) petendas. Post duos tamen dies tranquillæ navigationis dimidia itineris pars iam facta erat. Postea, cum « Brendanus » octoginta chiliometris ab insulis

distaret, earum insigne in prospectu apparuit : erant nubium columnæ, quas supra insulas erigebant vehementes umidique venti. Illa vespera sol occidit in cælo rubro ; timendum erat ne procella oriretur.

Ad has insulas appellere semper periculosum est ; nam exiguis fretis dirimuntur, per quæ æstus undas celerrime vehementerque propellit. Nautis prudenter alligatis, curucus cursu veloci insulas appropinquabat. Ita pluebat, ut vix quicquam adspici posset. Subito a fronte apparuerunt rupinæ sub quibus fracti fluctus spumam candidam emittebant. Hoc erat promuntorium proximæ insulæ Mykines, quod gubernator difficulter circumire valuit. Tunc, nubibus paulisper remotis, nautæ mirantes viderunt complura avium milia, quæ de rupinib; in mare se præcipitabant ad piscandum. Hæc insula erat verus avium paradisus, fortasse ea ipsa quæ in *Navigatione* vocatur « Avium Insula ».

Subito Georgius clamavit : « Spectate illuc ; aliquid crassum salit ! » Et re vera, centum circiter metris ante proram, magna forma nigra eminebat ; erat balæna quæ e fluctibus compluries exsiluit, tamquam salmo.

« Brendanus » intravit in exiguum fretum inter insulas Mykines et Vagar, ubi inter rupinas ducenta metra altas vehementer flabat ventus. Nisi æstum secundum etiam feliciter nactus esset, curucus verisimiliter confractus esset. Velocitas crevit usque duodecim nodos atque curucus e freto in apertum oceanum expulsus est. In insulis stationem facere non potuerat et timendum erat ne ad Norvegiam propelleretur. Sed tempestas paulatim mitior facta est atque nautæ insulam principalem, Streymoy vocatam, petere conati sunt. Num in parvum sinum Sakshorn intrare valerent, diu incertum fuit. Octingentis tantum metris aberat, sed vento secundo adversabatur contraria vis æstus atque « Brendanus » loco non movebatur. Tandem, post unam horam, inverso æstu, « Brendanus » liberatus in portum intrare potuit.

Si Sancti Brendani *Navigatio* vera est, insulæ, quas, ut nunc, Ovinas vocabat, eius prima statio fuerunt ; et re vera descriptio bene congruit cum hodierno aspectu. Nautæ magna cum humanitate et curiositate recepti sunt ab incolis. Nomen Sancti Brendani omnibus pernotum erat. Homines iam in schola discebant monachos Hibernos, quos « papars » vocabant, primos fuisse qui insulas incolerent. Quamquam pauca eorum vestigia ab archaeologis adhuc inventa sunt, in litteris sæpe agitur de eorum præsentia in insulis. Quidam sinus insulæ principalis vocatur « Brandarsvik », i.e. Brendani sinus.

Timotheus, cum ad curucum revertisset, virum in navigii margine sedentem invenit, quem comitabatur

formosa exoticaque femina. Cuius viri caput circumdatum erat erectis crinibus barbaque florida ; Neptuni præbebat aspectum. Timidus, Anglice loqui vix audiebat, quare mulier eius loco loquebatur. « Heri, ait, cum in statione radiophonica verba faceres, dixisti te nostrorum insularum incolam inter curuci nautas libenter accepturum esse. Hic vir vos comitari cupit. Vos non decipiet ; est artifex et optimus pictor, sed etiam sua scapha navigavit usque in mare Mediterraneum. » Sic factum est ut Trondur Patrusson insequentem itineris partem participaret.

Die tertio mensis Iulii « Brendanus » insulas Ovinas reliquit, Islandiam petiturus. In his septentrionalibus regionibus sol hoc anni tempore noctu vix disparet. Tempestas erat serena et mare tranquillum ; curucus lentissime navigabat. Trondur optimus pescator se ostendit, qui suis instrumentis utens plures morutas capere valeret. Cottidie balænæ sive solitariae sive gregales circa « Brendanum » emergebant eumque diu comitabantur. Manifesto hoc singulari navigio fascinabantur. Trondur, cui huius maris maxima erat familiaritas, tale spectaculum numquam viderat. Timotheus, cum ingens balænæ dorsum fere immobile iuxta curucum contemplaretur, facilius intellexit *Navigationis* narrationem, ubi monachi in dorsum balænæ prandium sumere parant.

Complura genera maiorum minorumque balænarum et delphinorum apparuerunt. Omnes tamen ceti non sunt pacifici ; in mundo marino præter species quæ vegetalibus vescuntur etiam sunt species carnivoræ et crudeles. Quodam die curucus molliter movebatur quasi immobilis, vento deficiente. Quiescebant nautæ, cum subito Trondur, cui erat acerrimus auditus, clamavit : « Spækhugger ! » – i.e. Latine orca, nomen cui in nomenclatura scientifica additur « gladiator ».

Hæc re vera sunt timendæ beluae, nec desunt veræ narrationes celocum ab eis demersarum. Magnam pinnam in dorso gerunt sicut squali. Brevi sex in conspectu fuerunt in ordine dispositæ, ut solet cum orcæ venantur. Una ceteris maior erat, mas et dux. Grex nabant ducentis circiter metris procul a puppi, cum dux ab eo secessit atque cursum in « Brendanum » direxit. Nautæ immobiles, silentes necnon impotentes exspectabant anxiæ. Belua curuco paulo brevior erat sed ter vel quater gravior. Iam non plus viginti metris distabat ; cum stridore, vaporis nubeculam e naribus emisit, cuius foetorem nautis percipere licuit ; tunc urinata est, sub navigium navit... atque ad gregem rediit !

Nonnullis diebus post nautæ inopinanter circumdati sunt multitudine balænarum, quæ non erant, ut solent, tranquillæ, sed perterritæ videbantur ; nec sine

causa : nam ab orcis impugnatæ, huc illuc confuse nabant, supra mare saliebant et urinabantur.

Trondur non solum pisces scienter capiebat, sed demonstravit se etiam volucres linea piscari valere. Tempestate tranquilla, multæ aves fluitare solebant circa naviculam. Tunc Trondur frustum balænæ adipis hamo figebat atque lineam evolvebat, quæ super undas usque medium in avium gregem fluitabat. Tanta erat eorum voracitas, ut inter se rixarent ad frustum capiendum... et voracior hamo retinebatur. Hoc modo nautæ non solum tempus iucunde terebant, sed insuper sibi carnem recentem comparabant.

« Brendanus » ad Islandiam appropinquabat, sed navigandum erat satis longe ab eius litore meridionali, ne quadam inopinata tempestate propelleretur in hanc periculosam oram omni refugio carentem. Petendus erat Islandiæ angulus meridionalis occidentalisque, ubi in intimo sinu sita est urbs caput Reykjavik. Tunc tempestas orta est, quæ curucum ad occidentem celeriter propulit. Carina torquebatur et stridebat, sed nullum defectum ostendebat. Cum tempestas tandem desiit, « Brendanus » paulo ultra Islandiam ad occidentem versus propulsus erat. Mitiorem magisque secundum ventum adeptus, curucus ad sinum Reykjavik lente navigavit.

Primum apparuit magnus conus vulcanii montis Snæfell, cuius culmen perpetua nive tectum e longinququo adspiciebatur ; hic quasi pharus sinus Reykjavik erat. Die 17 mensis Iulii navicula in sinum intravit et nonnullis horis post, permultis adstantibus acclamantisbusque, « Brendanus » ad crepidinem suo Marte appulit.

Perveneruntne monachi Hiberni usque in Islandiam ? Probatio eorum præsentiae adhuc tantum in signis indirectis nititur. In *Navigatione* narratur Sanctum Brendanum eiusque monachos invitatos propulos esse ad insulam saxosam scoria tectam, ubi nulla arbor, nulla planta crescebat ; hostiles fabros fornaces alere, unde magno cum fragore saxa incandescentia in mare proiiciebant. Hæc narratio manifesto memorat phænomena vulcanica, qualia etiam nostris temporibus interdum observantur. Anno enim 1963 mons vulcanius e mari emersit ante meridionale litus Islandiæ atque vaporis columnam decem chiliometrorum altam emisit una cum multitudine saxorum incandescentium in mare projecta.

Non satis magna pars æstatis supererat, quam ut « Brendanus » solveret Americam tuto petiturus. Itaque altera navigationis pars in proximum annum prudenter dilata est. Nonne ipse Sanctus Brendanus solum post septem annos ad terram promissam appulit ? ☐


(continuabitur)

CAMBOSIA (II)


- narrata ab Alexandro Vanautgaerden -




Æstate autem, dum in viis Bruxellensibus ambulo, tandem sensi illuc esse proficiscendum. Libros omnes emi, qui de Cambosia venales prostabant. Atque perturbatus sum. Commiscebatur enim historia imperii Khmeriani cum immani regimine istius Pol Pot, ita ut nihil iam intellegetur. Illæ duæ historiæ, nullo modo nexæ inter se, inter se tamen lectori videbantur ordine temporis coniungi.




¶ Somnium factum erat funestum. Mihi dormienti videbantur duæ Cambosiæ facies ita transfigurari, ut Jayavarmani VII magnis oculis, amygdalis similibus, paulatim substituerentur alii oculi, terrore tumefacti, hominum inclusorum in carcere Tuol Sleng.




¶ Itaque constitui historiam humanam ad tempus omittere atque me potius converti ad illius regionis leges geographicas. Nuptias aquæ et oryzae didici, admiratus sum imperii Khmeriani scientiam hydraulicam.



¶ Ad populum tamen Khmerorum volens nolens redibam : adeo loca conformata videbantur ad incolas. Terra plana tamquam mensa, montes campis adiacentes. Ad occidentem versus Thailandia, ad septentrionem Laos, ad orientem Vietnamia, atque, multis chiliometrorum milibus interiectis, cogitationes meæ.



¶ Epistularum commercium cum Renato Dumont, qui Angkoræ rexerat aream archæologicam, tunc iunxi. Qui vir se mihi quamvis ignoto benigne obtulit Cambosiæ mappas explicaturum. Eas coloratas ad me mittebat. Ego rem perspiciebam dubitans, num potius esset hinc an illinc incohare, utrum infra, a mari, an supra, a montibus, esset aggrediendum. Illa terra, quæ tam parva erat visa, fiebat immensa.



¶ Ad eum misi longum indicem rerum, quas videre cupiebam. Respondit me esse nimis avidum, integrum mensem non fore satis, temperantia utendum esse. Paulatim intellexi segnitiam fore descendam, si regionem vellem gustare. Iuravi me nihil esse « omnino » quæsitorum, me secuturum esse occasiones, clima, tempora. Nos postero die ad locum reddituros esse, qui non posset statim lustrari. Item perendino die, si necesse. Et si die perendino iterum obiceretur obstaculum, nos aliam rem facturos, alio profecturos. Multum exspectaveram. Tandem licebat aeroplanum concendere. ■■■

AVSTRIA QVID IN ASIÆ ANTIQVITATIBVS LATINE DESCRIBENDIS CONTVLERIT

— enarrat Wolfgangus Jenniges¹ —

Haud semel accidit ut sive studiorum sive animi causa veterum philologorum volumina legentibus vel evolventibus, nobis « quasi suffodientibus », ut verbis Baccianis utar², ex improviso succurrat thesaurus antea prorsus ignotus. Inter quos thesauros præstans et eximum vobiscum communicare iuvat exemplum, margaritam dixerim, et hisce in adjunctis unionem quasi, eademque per dignam quæ ab oblivione vindicetur, in bibliothecarum pegmatibus iniuste latentem.

« Titulos » dico « Asiæ Minoris conlectos et editos auspiciis Cæsareæ Academiæ Litterarum Vindobonensis », quorum primum volumen, a viro docto Ernesto Kalinka editum³, atque titulos complectens Lyciæ lingua Lycia conscriptos, anno 1901 luculente præfatus est vir doctus, antiquitatum peritissimus, Otto Benndorf (1838-1907), qui, origine Thuringus, professor fuit academicus tum Vindobonensis, antea Pragensis. Cuius heic potiora referam verba, quum eximum sint optimæ Latinitatis exemplum, quæ utinam et nostra ætate inter viros mulieresque doctos, philologos potissimum, in dies plus plusque vigeat iterum et floreat et innotescat⁴.

Pauca tamen liceat et mihi de illis Austriacis præfari, quibus vobis mirifici huius incepti adjuncta patefaciam necessaria quædam, et res actas, et condiciones.

Sæculo undevicesimo nemo est quin sciat quodvis nationum veteris nostræ Europæ studium, earumque regentium potissimum, ad ipsius nationis et summam rerum regentium nomen et gloriam spectavisse amplificandam. Cuius studii etiam philologia nostra, aridula quidem ista disciplina atque non nullis per diosa, facundum præbet testimonium. Felicia tamen illa tempora utinam redirent quibus publica licebat largitione optimatumque opibus humaniorum scientiarum nostrarum incrementum promovere et commodum !

Sic, ut ceteros præteream, illo sæculo Galli et Syriam per vestigandam et Africæ provincias (quas obtinuerant) et Delphos effodiendos et eorum titulos curaverunt laudabiliter edendos⁵; Borussi et Græcis et Latinis titulis in lucem immoderato quodammodo omnia complectendi studebant impetu proferendis atque edendis⁶; Austriaci autem neque improbata Latinitate « Titulos » Asiæ quam vocamus Minoris præclaris Borussorum vestigiis inhærentes curabant colligendos edendos interpretandos (1901 sqq.).

Borussi autem Austriacos Asiæ titulos tractatueros haud ægre sunt passi; cuius rei præbet testimonium illius rerum antiquarum « patriarchæ », Theodorum Mommsen dico (1817-1903), epistula ad Udalricum a Wilamowitz-Moellendorff, generum suum, die 17 m. Septembri anni 1891 data, ex qua proferam hæc⁷:

« Natürlich kann von Konkurrenz zweier Akademien nicht die Rede sein, und wir müssen es durchaus vermeiden, die antike Epigraphik als Berliner Domäne zu behandeln ; wird das kleinasiatische Corpus in richtigem Umfang in Wien ergriffen, so passen wir ; eigentlich verunglücken können derartige Materialsammlungen, wenn recht angelegt, selbst in halbfähigen Händen nicht (*exempla adsunt*), und die Wiener *giovani* sind ganz geeignet. »

Latine sic reddiderim :

« Ut patet, fieri nequit ut duæ inter se æmulentur Academiæ, et vitandum prorsus mihi videtur antiquorum titulorum disciplinam sic tractare quasi reservata sit Berolinensibus provincia ; corpus Asiæ Minoris si Vindobonæ recto modo aggrediantur, cedamus illis ; ceterum talia incepta rerum congerendarum, modo recta instruantur ratione, vix possunt pessum ire, ne ineptiorum quidem si manibus creduntur (*exempla adsunt*), et illa μετράκια Vindobonensia perquam sunt apta. »

Wilamowitzius autem inde ab anno 1902 « Inscriptio[n]um Græcarum » Berolinensium edendarum supremum in se consilium recepit et onus. Qui summus rerum Græcarum vir in angulo Borussiae quæ tunc erat anno 1848 natus, anno vero 1931, felix opportunitate mortis, Berolini supremum diem obiit.

Austriaci vero suis in Turcorum regnum itineribus quod ad miserabile vergebat excidium non sine periculo susceptis, primum in Lyciam⁸ Benndorfio duce annis 1881, 1882, 1892, dein annis 1894, 1895, 1908 duce Kalinka, anno etiam 1898 Rudolfo duce Heberdey, in Ciliciam anno 1891, in Cariam annis 1893 et 1894, in Bithyniam et Pontum anno 1896, in Pisidiā annis 1897, 1899 et 1901, in Pamphyliam anno 1902, in Ioniam annis 1905 et 1906, et anno 1914, ultimum, in Ciliciam iterum atque Pamphyliam, maximam titulorum paraverunt copiam – anno 1894 iam fuerunt plus quam tredecim milia, anno 1908 duodetriginta milia –, quorum ectypa in Academiæ Vindobonensis ædibus religiose servantur. Præterea eodem Benndorfio hortante inde ab anno 1895 Ephesum effodiendam Austriaci suscepserunt urbem nobilissimam.

Itinerum autem ineundorum impensa pro sua liberalitate – o felicia tempora ! – serenissimus solvit Ioannes (eius nominis secundus) princeps a Liechtenstein. Præter hunc humanissimum virum Carolum a Lanckoronski silentio præterire dedecet, qui et ipse, nobilis vir et eximio ingenio indoleque liberali præditus, antiquitatis explorandæ causa fecit itinera et aliis ut facerent liberaliter permisit⁹.

Titulorum autem Asiæ Minoris octo prodierunt

usque ad annum 1989 volumina, titulos complectentia Lyciae¹⁰ Lydiæ Bithyniæ Pisidiæ¹¹. Quibus in lapidibus describindis Austriaci, velut et Borussi qui titulos ipsius Græciæ usque in hunc diem laudabiliter curant edendos, Latini sermonis servarunt usum et servant et (si superis placet) servabunt¹².

Reliquum est ut a rostris ipse nunc secedam, immortalis Benndorfii verba prolatus, additis non-nullis adnotatiunculis:

« Æstate anni 1881 cum e Lycia redux

Constantinopoli degerem, contigit, ut serenissimus princeps Ioannes de Liechtenstein¹³ recens a gestatione, cui per maris Ægæi litora uacauerat, phaselum suum Hertham nomine ad aureum cornu in ancoris teneret. Qui certior factus, quo consilio in Termilarum montes iter intendissem, uespero quodam me in phaseli diætam ad se uocauit, ut quid effecissem, qua solet comitate, accuratius sciscitaretur. Et quæ tunc ad noctem cum de Asiae regionibus explorandis tum de partibus in hoc graui molimine a nobis suscipiendis uario sermone disputauimus, ea nunc grato animo profiteri decet initia et quasi fundamenta fuisse eximii fauoris, quo generosus ille princeps, quem omnium in Austria bonarum artium cultorem ueneramus, etiam nostra studia in orientem conuersa adiuuare numquam destitit. Non solum enim primus auctor exstitit, ut nobile illud heroum Lycium Trysæ quondam ab Iulio Augusto Schoenborn uiro probo inuentum quidem sed miseræ obliuioni relictum¹⁴, postquam iterum repperi, litterarum commodo Vindobonam transferremus dataque ea occasione Lyciam antiquitatis causa, quoad fieri posset, totam recognosceremus, sed hisce rebus absolutis editoque in lucem quod attuleramus disciplinæ incremento ad ulteriorem etiam adeoque maiorem conatum ipse nos incitare et compellere uoluit. Itaque decem abhinc annis cum rogatus ei uberiore libello exposuisse, quot lapides scripti in omnibus fere Asiae minoris angulis ignoti adhuc aut male noti delitescerent, et si doctæ cuidam societati dispersos et absconditos inuestigare, inuestigatos excipere, exceptos digerere, et ad artis leges edere liceret, quantum lucri in chorographiam, in rem grammaticam, in antiquam potissimum illarum regionum memoriam, quæ si ab ora recesseris monumentis maxime, ne dicam solis continetur, redundaturum esset, ad huiusmodi opus integro labore suscipiendum oblata annua largitione satis ampla hanc nostram academiam¹⁵ inuitandam esse censuit.

Tam ingenue oblata cum debitiss gratis accepisset, academia rem sine mora aggressa est. Quibus autem

sodalibus curam principalis liberalitatis demandauerit, quorum uirorum docta sollertia iam editarum inscriptionum apparatus instructus, in prouinciarum urbiumque ordinem redactus, in diem auctus sit, quam denique messem expediti nostri et eruditii commilitones ex itineribus iterum iterumque in Asiam derectis reportauerint, hæc cum identidem ac minutatim in ephemericibus academiæ relata sint, hoc loco recolere inutile uidetur. Sed formam operis si dis placet futuri qualem animo nobis effinxerimus, paucis uerbis adumbrare opportunum erit.

In tractando igitur negotio hoc nobis ante omnia propositum erat, ut magnum illud et gloriosum exemplum, quod latinarum inscriptionum corpore Theodorus Mommsen ut sui nominis honori, ita totius rei epigraphicæ, totius adeo disciplinæ antiquariæ emolumento constituit, pro uirili parte maxime sequeremur. Pessime uero nos secuturos esse intelleximus, si imitando dediti toti hanc nostram materiam non ad suam quodammodo indeolem conformaremus. Qua in re primum a sollemni syllogarum Berolinensium ratione ita recedendum esse putauimus, ut non modo utriusque linguae inscriptiones coniunctim, sed quoquis alio sermone quæ antiqua ætate scriptæ uiderentur, pari religione admitteremus. In hac enim orbis antiqui parte, cuius fata olim tot populorum consessu mixtura dissolutione continebantur, cuiusque commercium hodie, si paucos tractus exceperis, in planis campis rarum, per montana adeo nullum est, doctissimum quemque antiquitatis speculatorum egregie peccaturum esse patet, si peregrinando titulos græcos uel cum latini solos uel omnino solos spectaret, reliquos aspernaretur. Titulos autem regionibus locisue inter se uicinos, quos interdum ad eosdem homines eademque instituta pertinere, sæpius argumentorum similitudine illustrari, ex ipso usque uicinitatis uinculo uim quandam memoriæ adquirere constat, postquam molesto labore conquisi et excepti præsto sunt, propter solam linguae diuersitatem edendi negotio diuellere ac prorsus segregare consilio operis ad instruendam antiquitatem in primis compositi certe minus conuenire uisum est. Quapropter græcis mixtos latinos ad originis ordinem ubique repetemus exceptis tamen duorum imperatorum duobus exemplis bilinguis eisque amplissimis. Neque enim commentarium rerum gestarum ab Augusto relictum neque edictum Diocletiani de pretiis rerum uenalium, nisi interim pliores quam adhuc funditusque nouæ edendi copiæ acreuerint, post curas illas a principe disciplinæ impensas ac pæne absolutas denuo proponere in animo est, idque recte a nobis expectari posse negamus, præsertim cum utrumque

monumentum non tam prouinciae quam imperii esse dici possit ideoque honoris causa peculiarem tractationem flagitare. Barbaros autem titulos quibus prodierunt locis inseremus, ubi ne se subtrahant ceterorum silua obruti indicibus semper cautum erit. Sed epichorios Lyciæ utpote numero et pondere nobiles seorsum hoc uolumine comprehensos reliquis Lyciæ, qui mox sequentur, præposuimus, ut tractando commodiores haberent quicunque hodie origini harum litterarum etiam nunc occultæ admirabilem amorem et curam impendunt.

Tum de finibus operis hæc monenda sunt. Ex auctoribus et lapidibus concessimus Asiæ minoris inscriptiones, ex solis auctoribus, ut licuit nec inutile uidebatur, finitimarum quoque prouinciarum Syriæ et Armeniæ. Itineribus autem cum in hasce regiones euagari nobis neque datum neque propositum sit, hac sylloge dabimus solos titulos prouinciarum Asiæ, quæ fuerunt postrema ætate romana, exclusis, ut par erat, magnarum quæ continentia a meridiana et occidentalí parte adiacent insularum, illos uero quantum fieri potuit omnes omnesque accurate a nobis recognitos. In ætatis porro rationibus non erat, cur legem sequeremur latinarum inscriptionum corpori iure impositam sexto sæculo extremo subsistentes. In oriente enim tam constans erat ac sine euersione perpetuus græcarum rerum decursus æuumque quod uocatur Byzantium litteris arte institutis tam arcte coniunctum cum forma imperii romani quæ fuit in prouinciis græce locutis, ut impedita illa quæstio, ubinam iustum medii æui antiquitatisque confinium agnoscendum sit, diiudicatu multo etiam difficilior euadat quam in occidente et in recensendis inscriptionum subsidiis temporis nota plerumque destitutis pæne desperanda uideatur. Cumque hodie tantum absit ab eo, ut innumerabiles græcae scripturæ varietates inde ab Antoninorum fere ætate pleno temporis ordine persequamur, ut plurimas inscriptiones ne ad sæculum quidem determinare liceat, itaque in omittendis uel excludendis exemplis commissi errores, ut solent, huic quoque collectioni grauius damnum adlaturi sint quam innocentes in admittendis, liberaliores esse maluimus quam parciores et ad eundem ultimum terminum progredi, quem fixum neque ulli scrupulo obnoxium statuit christianorum titulorum editor clarissimus in corpore Boeckhiano¹⁶, annum dico 1453 p. Ch. n. [...]

Artem longam uitam breuem esse quis negat uel in hoc studiorum genere ualere? Sæpius me dolere confiteor, quod tantum temporis nobis in præparatione et exploratione consumitur, ut pedetentim laxo agmine procedere uideamur, qua uia aliorum equitatum alaci-

ter procurrentem admirantur. Quod utinam ne totum uiribus nostris detur, nedum uoluntati, quæ honesta est et a leui ambitione aliena; sed res et fortuna in causa sunt pro auxiliis operæ et difficultatibus propositi. Sicut syllogam græcarum inscriptionum, qualem olim Gustauus Hirschfeld, uir bonæ memoriæ et de Asia peruestiganda optime meritus, desiderauit ex auctoribus totam litterisque minusculis eo consilio festinandum, ut copiæ in tot librorum receptacula et latibula diu delapsæ illico usurpari possent, nunc facili negotio talem ex apparatu nostro adornare liceret eamque suapte natura satis quidem imperfectam, immo fidei multifariam incertæ, sed certis indicibus adiectis in tempus admodum utilem¹⁷. Verum cum dissuassissent summi iudices ancipitem curam quæ obesset muneri uero et necessario, qua de re num recte senserint, uel hodie mihi uidetur disceptari posse, non aliter rem a nobis expediri posse uideo, nisi ut stataria opera a prouincia in prouinciam progrediamur et pro solido operis fundamento accuratam locorum regionumque indagationem ponamus. Hæc uero quam longi tenoris sit in Turcarum imperii incultis prouinciis, quam assiduos labores, quantas molestias exposcat, ut taceam de periculis hic illic sustinendis, credant uelim æqui iudices, qui non experti sunt. At bono animo speramus numquam academiæ nostræ defuturos esse optimos iuuenes, milites antiquitatis, qui signa disciplinæ antiquariæ Austriaca in oriente fixa ex uoto principis, cui hasce primitias dedicamus, tueantur ac fortiter profenant. » ■■■

1. Hæ litteræ pridie Idus Decembres a. S. MMII (12.12.2002) ad gregem Latine loquentium missæ sunt. Fontes generatim referendi sunt hi: GERHARD DOBESCH, « Hundert Jahre Kleinasiatische Kommission – Rückblick und Ausblick », et KLAUS HALLOF, « Das Berliner Corpus und die Gründung der Kleinasiatischen Kommission in Wien vor hundert Jahren », in : GERHARD DOBESCH – GEORG REHRENBÖCK, EDD., *Die epigraphische und altertumskundliche Erforschung Kleinasiens: hundert Jahre Kleinasiatische Kommission der Österreichischen Akademie der Wissenschaften. Akten des Symposiums vom 13. bis 25. Oktober 1990* (Denkschriften der Österreichischen Akademie der Wissenschaften, Philosophisch-Historische Klasse 236, Ergänzungsbände zu den Tituli Asiæ Minoris 14), Vindobonæ 1993, pp. 9-30 et 31-47.

2. Cf. ANTONII BACCI, *Varia Latinitatis scripta. Volumen II : Inscriptiones Orationes Epistulae*, Romæ 1955 (ed. III³), p. 321.

3. *Tituli Asiæ Minoris collecti et editi auspiciis Cæsareæ Academiae Litterarum Vindobonensis. Volumen I : Tituli Lyciæ lingua Lycia conscripti*, ed. E. KALINKA, Vindobonæ, ex ædibus Alfredi Hoelderi, 1901.

4. Ad hæc perquam utilia protulit vir doctissimus de Latinitate eximie meri-

- tus MICHAËL DE ALBRECHT, « De lingua Latina in philologia Latina adhibenda », in : *Vox Latina* fasc. 150-38 (2002), pp. 476-485.
5. *Fouilles de Delphes – Corpus des inscriptions de Delphes*, cf. <http://www.efa.gr/publications/publicationsFrames.htm> ; *Corpus Inscriptionum Semiticarum*, inde ab anno 1881, quod inceptum tamen abortum est passum, cf. <http://www.aibl.fr/fr/travaux/cis.html>.
6. *Corpus Inscriptionum Latinarum*, 1853 sqq., cf. <http://www.bbaw.de/forschung/cil/pub.html>, *Corpus Inscriptionum Græcarum*, postea, 1873 sqq., *Inscriptiones Græcae* nuncupatae, cf. <http://www.bbaw.de/forschung/ig/pub.html>.
7. MOMMSEN-WILAMOWITZ, *Briefwechsel 1872-1903*, Berolini 1935, nr. 343, pp. 423-424.
8. Cf. præsertim relationes quæ sunt : *Reisen im südwestlichen Kleinasiens. Band I. Reisen in Lykien und Karien, durchgeführt im Auftrage des k.k. Ministeriums für Cultus und Unterricht, unter dienstlicher Förderung durch Seiner Majestät Raddampfer « Taurus » Commandant Fürst Wrede, beschrieben von OTTO BENNDORF und GEORGE NIEMANN mit einer Karte von HEINRICH KIEPERT* (Vindobonæ 1884) et *Band II. Reisen in Lykien Milyas und Kibyrratis, ausgeführt auf Veranlassung der Österreichischen Gesellschaft für die Archäologische Erforschung Kleinasiens, unter dienstlicher Förderung durch Seiner Majestät Raddampfer Taurus Commandant Baritz von Ikafalva, beschrieben und im Auftrage des k.k. Ministeriums für Cultus und Unterricht herausgegeben von EUGEN PETERSEN und FELIX VON LUSCHAN* (Vindobonæ 1889). Adde : *Bericht über zwei Reisen im südwestlichen Kleinasiens ausgeführt im Auftrage der Kaiserlichen Akademie der Wissenschaften (Widmung Seiner Durchblaucht des Regierenden Fürsten Johann von und zu Liechtenstein)* (Denkschriften der Kaiserlichen Akademie der Wissenschaften).
- Philosophisch-Historische Classe 45,1), Vindobonæ 1897 auctoribus RUDOLFO HEBERDEY ET ERNESTO KALINKA.
9. Cf. eius relationem *Städte Pamphyliens und Pisidiens I-II* (Vindobonæ 1890-1892).
10. De Lyciæ titulus plura si quis scire cupit ad illa se referat quæ in libello qui *Mystagogus Lycius* inscribitur ante fere septennium Latine fusius disserui (apud *Melissam* a. 1996 edito).
11. Volumina Lyciam tractantia annis 1901, 1920, 1930, 1944 ab ERNESTO KALINKA indefessa sunt industria in rei publicæ litterarum commodum edita ; volumen Pisidiæ anno 1941 a RUDOLFO HEBERDEY, volumen Bithyniæ anno 1978 a FREDERICO CAROLO DÖRNER, volumina Lydiæ annis 1981 et 1989 a PETRO HERRMANN sunt publici iuris facta.
12. De usu linguæ Latinæ in titulis edendis acris est exorta controversia inter *Inscriptionum Græcarum* editores et alios grammaticos rerumve scriptores qui extra sedem Berolinensem in titulos incumbunt edendos et describendos. Inter quos vir doctus Reinholdus Merkelbach Latini sermonis usum vehementer impugnavit haud æquo quidem modo neque sat validis nisus argumentis (cf. eius « Überlegungen zur Fortführung der *Inscriptiones Græcae* », in : *Zeitschrift für Papyrologie und Epigraphik* 117 [1997], pp. 297-303, et « Nochmals *Inscriptiones Græcae* », in : *Zeitschrift für Papyrologie und Epigraphik* 122 [1998], pp. 293-299). Etenim non liquet, meo quidem iudicio, cur usus Latini sermonis illis sit pondus intolerabile putandum quibus classicæ, quas nostrates vocant, linguæ et muneri sint et studio.
13. Vixit annis 1840-1929, annis regnavit 1858-1929.
14. Iulius Augustus Schoenborn Borussus, gymnasii in oppido Posnaniensi quondam magister, Lyciam antiquitatis causa annis 1841-1842 et 1851 bis peragraverat. « Heroon » illud sepulcrum est reguli cuiusdam Trysensis sæculi a. Chr. n. quarti. Trysa nunc apud Turcos innotuerunt nomine Gölbaşı. De quo sepulcro nitidus est libellus editus a Wolfgango Oberleitner, *Das Heroon von Trysa : Ein lykisches Fürstengrab des 4. Jahrhunderts v. Chr.* (Moguntiaci 1994), pulchris imaginibus ornatus lucis ope redditus. Fragmenta autem sepulcri Vindobonam a. 1884 transportata nondum sunt in Museo Vindobonensi exposita, cum adhuc spatium desit idoneum.
15. Vindobonensem scilicet. Largitio autem illius principis inter annos 1890 et 1903 quotannis quinis milennis (5000) florinorum constabat.
16. Agitur de Berolinensi « Corpore inscriptionum Græcarum » annis 1825-1859 a viro docto Augusto Boeckh (1785-1867) quattuor voluminibus absoluto. Indices autem in lucem prodierunt anno 1877.
17. Vir doctus Gustavus Hirschfeld (1847-1895), in studiorum universitate Regiomontana, in Borussia, præceptor academicus, simile Asiæ titulorum corpus, selectorum tamen potissimum ex scriptorum et virorum doctorum commentariis [quæ « litteræ » hic « minusculæ » dicuntur, Theodisce vocabulo redduntur quod est « Lokalliteratur »], quindecim fere annis ante, Berolinensi academiæ iam proposuerat efficiendum. Quod propositum tunc a summis Academiæ Berolinensis iudicibus est recusatum.

FLOSCVLI ERASMI (I)

Candidis lectoribus

(Liber tertius Erasmi Roterodami quo respondet reliquis annotationibus Eduardi Lei, maio 1520)

— proponit Alexander Vanautgaerden —

Anonnullis iam annis Museum Erasmi Latinas Fundationis Melissæ actuositates fovere solet. Itaque nobis visum est Melissæ lectoribus nonnullos textus Erasmianos offerre, qui vix inveniri possunt nisi in editionibus sæculi sexti decimi.

Hac ergo symbolarum serie lectoribus præbebuntur epistulæ Erasmi, quæ non insunt in eximio opere a Percy Stafford Allen una cum uxore et collega H. W. Garrod annis 1906–1947 edito : P.S. Allen et alii (ed.), *Opus Epistolarum Desiderii Erasmi Roterodami denuo recognitum et auctum*, Oxford, Clarendon Press, 1906–1947, II vol. (+ 1 vol. indicum a. 1965).

Incumbamus imprimis in disputationem, quæ de Novo Testamento orta est inter Erasmus et theologum Eduardum Lee. Quæ rixa anno 1519 orta est, cum futurus archiepiscopus Eboracensis, tum alumnus in studiorum universitate Lovaniensi, acerbe recensuit adnotationes, quibus Erasmus anno 1516 suam Novi Testamenti versionem ornaverat. Qui plura de hac re scire cupit, legat Robert Coogan, *Erasmus, Lee and the Correction of the Vulgate : The Shaking of the Foundations*, Genève, Librairie Droz, Travaux d'Humanisme et Renaissance, n° CCLXI, 1992 ; Cecilia Asso, *La teologia e la grammatica. La controversia tra Erasmo ed Edward Lee*, Florence, Leo S. Olschki Editore, Studi e testi per la storia religiosa del cinquecento, 1993 ; Alexandre Vanautgaerden, « Le grammairien, l'imprimeur et le sycophante ou Comment éditer une querelle théologique en 1520 [Érasme et Lee] », in Érasme, *Apologie d'Érasme ... qui lui servira de réponse aux deux invectives d'Edouard Lee...*, A. Vanautgaerden (s.l.d.), Traduit du latin par Alain Van Dievoet et Marcel A. Nauwelaerts, Bruxelles, La lettre Volée à la Maison d'Érasme, Notulæ Erasmianæ, vol. I, 1997, pp. 9–32 et Gerard Huijing, « Textual Variants in Erasmus' Polemics with Edward Lee », in *Produktion und Kontext*, s.l., Niemeyer, s.d.

Adversus Eduardum Lee Erasmus tres textus anno 1520 Antverpiæ edidit apud Michaelem Hillenium ; mense Martio : *Apologia qua respondet duabus invectivis Eduardi Lei*, *Apologia nihil habens neque nasi, neque dentis, neque stomachi, neque vngium qua respondet duabus invectivis Eduardi Lei*, *nihil addo qualibus : ipse iudicato lector* ; mense Aprili : *Erasmi Roterodami Responsio ad Annotationes Eduardi Lei*, *quibus incessit loca quedam ex annotationibus eius quibus ille explauit quatuor Euangelia, iuxta priorem aëditionem. Ex his interim coniecturam facito lector, reliquum operis*

propediem accepturus ; et mense Maio : Liber tertius Erasmi Roterodami quo respondet reliquis annotationibus Eduardo Lei. In Operibus omnibus anno 1540 Basileæ et anno 1703 Lugduni Batavorum editis solum præbentur secundus et tertius libellus.

Editio moderna primi libelli est hæc : Wallace K. Ferguson (ed.), *Opuscula Erasmi. A supplement to the 'Opera omnia'*, La Haye, Martinus Nijhoff, 1933, pp. 236–303.

In *Libro Tertio* mense Maio a. 1520 edito inest epis-tula ad lectorem scripta, quæ anno 1522 iterum inseritur in opus c.t. *Apologiae*. Prospera autem fortuna fit, ut in bibliotheca universitatis Cantabrigiensis servetur exemplar huius editionis ad ipso Erasmo adnotatum. Textus hic propositus nititur editionibus, quæ sunt :

A

Michael Hillenius, Antverpiæ, 1520
Usi sumus exemplari Bibliothecæ Nationalis Francogallicæ [Rés. p. A 16 (2)]

B

Apologiae, Ioannes Frobenius, Basileæ, 1522
Usi sumus duobus exemplaribus in Museo Domus Erasmi servatis [E308, E410]

C

Editio B ab Erasmo adnotata, quæ in bibliotheca universitatis Cantabrigiensis servatur [Adv. A. 5. I].

D

Opera omnia 1540

ERASMVS ROTERODAMVS
CANDIDIS LECTORIBVS S. D.

Dum hæc scriberem optime lector, identidem pœnituit instituti laboris, neque enim arbitror multis annis mihi collocatam operam in vllum argumentum, vel cum tedio maiore, vel cum fructu minore. An Leum sui libelli pœniteat, nescio. Nam aiunt illum maioribus etiam copijs instaurare pugnam. Quod si falsum est, & ille pacem mauult, age diuidamus inter nos victoram. Dimidium laudis ille ferat, ego dimidium. Vicerit ille conuicijs, ego veris. Fuerit ille superior vociferationibus, argumentis ego. Dixerit ille seditionis, ego moderatus. Quod si volet solidam auferre laudem ex hoc conflictu, ne tentet denuo iurgijs & conuicijs, qua quidem in re iam omnium atque adeo meo quoque suffragio palmam tulit, nec habebit me posthac concertatorem. Quid enim facilius, quam vel ingerere, vel regerere maledicta, & lusco dicere lusce? Mulierum ac scurrarum ista concertatio est, non Theologorum. In promptu est cuivis labem alieno nomini aspergere, qui suum ipsius probrum non metuit. Vt enim uitæ sic famæ alienæ dominus est, qui suæ contemptor est¹. Si Leus vult talis haberi apud alios, qualis ipse videtur sibi, uir eruditus, cordatus, attentus, oculatus, fortis, tueatur bonis argumentis suas illas toties iactatas, & tandem orbi, proditas annotationes. Neque rursus euomat tantum pus conuiciorum, interim pollicitans mox se responsurum argumentis nostris: quod videlicet præstet ad calendas græcas. [A2 r°]² Si fidit sibi. Primum³ hoc aggrediatur quod ad rem pertinet, omittat illud in quo nemo non fatetur illum valere plurimum. Si mecum aget his rationibus, quæ doctos viros deceant, fortassis habebit Erasmus conflictatorem. In hoc⁴ genere certaminis nolim experiri vires meas, a quo discedit vterque & saucius, & inglorius, quod maledicentia, non eloquentia viribus nititur, nec aliud laudis aufert victor, nisi quod habetur vir improbior & amarulentior. Odi victoram quæ non contingit, nisi grauiter læso proximo. Crudelis est voluptas, e fratri exitio triumphum agere. Pulcherrimum certaminis genus est, vnde qui vincit discedit honoratior, qui vincitur, abit doctior. Quod si illi nihil videtur eruditius, quam maledicere, me non habebit aduersarium, & tamen fortassis non defuturus est suus Bitho Bacchius. Imò iam nunc accinctos video, qui Leum accipiant pro ipsius dignitate. Quod si scissim, parissem huius temporis sumptui. Ego posthac huiusmodi tricis non auocabor à melioribus studijs. Alioqui quid facilius, quam tenebrionem aut rabulam aliquem subornare, qui indoctis & insulsis conuicijs

impetat hominis famam? Atque talis histrio iam adoratus est, arctissimæ religionis professor, sed ausus irreligiosissimi molitor, adeo literarum expers, vt nec hoc conuicium, quod quidam in me iacent, dum grammaticum appellant, in eum dici possit, adeo non ingeniosus, vt etiam communi sensu careat, neque quicquam adferat ad scribendum, præter animum omnibus virulentijs vndique corruptum. Iuuenis est, et miser prurit nominis ac famæ parandæ scabie. Iamque gestit prodire in proscenium, magno ordinis sui dedecore. Ac Leo sic fauet, vt tamen ei tantam famam subito partam inuideat. Video sic esse fatum meum, vt doceam qui me carpunt, vt nobilitem qui me infamant, vt ad studia bona extimulem, qui me a bonis auocant studijs. Etenim ni Leus planè velit ingratus videri, fatebitur Erasmus sibi magno commodo fuisse.⁵ Siquidem dum me studet carpere, cœpit attingere non-nihil melioris litteraturæ, cœpit amplecti studium lin-guarum, cœpit euoluere quædam veterum autorum, nostras lucubrationes vndique deflorauit, quin [A 3 r°] & Politiani libros attigit, ne vel hac parte videretur nihil omnino valere. Alijs amor stimulos addit ad bonas disciplinas, vti scripsit Plato. Huic⁶ ad easdem calcar addidit odium. Fortassis hoc egent stymulo, qui præter se nullos amare possunt. Postremo iam orbi non minus notum est Lei nomen, quam Erasmi. Non contemnet opinor, hoc præmij Leus. Id enim sensit, ni fallor, cum scribit ad me in præfatiuncula, qua mihi dicat sacras suas annotationes. Mihi uero, inquiens, quicquid euenerit, nec male, nec infeliciter cadet. Hoc dicit. Vt pessime cadat alea, certe continget innotescere. Id cum Leo per me contigerit, superest vt eo beneficio recte vtatur ad suam Christique gloriam. Quod si non satis habet peperisse famam, ni bonam etiam pepererit⁷ apud bonos ac doctos, primum canat palinodiam conuiciorum, quibus immerentis famam impetijt, deinde fateatur & emendet lapsus suos, quos innumeros prodidit vno libello, dum in meis voluminibus paucos conatur ostendere. Optimum erat paruisse monenti, ne tali libro propinaret se deridendum orbi. Nunc saltem malo doctus hactenus obtemperet consilijs amicorum, ne se rursus conijciat in rabiosam concertationem, & eruditorum calamum in se prouocet. Si quid laudis parari potest linguæ virulentia, si quid indoctis vociferationibus abunde multum laudis iam nunc tulit Leus. Nos nihil gessimus per insidias, neque cum adiuratis typographis egimus, ne quis inspiceret chartas antequam esset absolutum opus.⁸ Et Leum sic tractauimus, vt nihil sit in mea responsione, tam asperum, vt⁹ non grauius lædatur suis ipsius scriptis. Quo¹⁰ magis in promptu sit illi lapsus suos agnoscere, non omnes,

neque enim est numerus,¹¹ sed aliquot elenco demonstrauimus, non tali, qualem ille præfixit suo libro, qui præter fumos, fucos, technas, & seditiosas calumnias nihil habebat. Hic multo minus pollicetur, quam præstet opus, & moderatione quoque respondet. Si me audies lector, neque Lei calumnijs, neque meis apologijs euoluendis bonas horas male perdes. Attamen si quid forte haustum est veneni ex Lei libello, consultum fuerit nostra vti [A 3 v°] antidoto. Cæterum ab eo qui volet exercere censuram, illud petam, vt nostra legat attentius, & si vacat cum ijs quæ scribit Leus conferat. Nam nos vbique quantum licuit studiuimus compendio, ne in re & in amœna & inutili, nimium ocij collocaremus. Quod si hæc est ineuitabilis studiorum pestis, vt qui iuuandi studio scribunt aliquid, cogantur cum omni monstrorum genere, depugnare cum nusquam desint indocti stolidique & depugnare parati, cedo totam harenam alijs. Hactenus nemo per me factus est ater.¹² Neque fiet, si modo liceat persequi¹³ meum institutum. Nihil adhuc scripsi sciens, quod aduersetur pietati, aut gloriæ Christi. Articulos fidei toto pectore complector, dogmata recentium Theologorum sic recipio, vt nolim nec tueri pertinacius, nec impugnare contentiosius. Me nullus habebit nec impiæ doctrinæ magistrum, nec seditionis aut tumultus, vel ducem, vel comitem.¹⁴ Famæ sum satur. Opes non ambio. Hoc ingeniolum, hæ literulæ, Christi gloriæ seruient. Huic utinam prober, quandoquidem vix spes est fore, ut placeam quibusdam, qui magis student suo lucro, quam Christi. Non est ullum studij genus, quod damnem. Non est vllum vitæ genus, quod insecter, de probatis loquor. Non improbo moderatas &

ab ecclesia receptas ceremonias, sed eos modo, qui his freti, negligunt ea quæ sunt veræ pietatis. Nemo syncretius amat vere religiosos, nec inter vlos malim vitam agere nisi dissuaderet necessitas. Eruditionem mihi non arrogo. Quod dedit dominus, libenter impartio. Si quis adferet meliora, non grauatim sequar. Qui mouent huiusmodi tumultus, ipsi viderint. Quales sint, ipsi se suis produnt libellis. Quorum nullus adhuc tam indocete, neque tam virulente scrispsit, quin hoc Lei libello subleuetur. Sed prohoemij plus satis. ☩

FINIS.

1. B. Marginalia : Lei de se existimatio.
2. Editio A.
3. C. Pagina. 256 : « Si fidit sibi, primum ».
4. C. altero.
5. B. Marginalia : Lei studiorum stimulus, odium
6. B. « Plato, huic ».
7. B. peperit.
8. B. Addit : quemadmodum fecit ille.
9. C. vt ille.
10. B. Quo porro.
11. B. Marginalia : Elenchus annotationum Lei
12. B. Marginalia : Erasmi institutum.
13. A : persegni (sic). B. persecuti.
14. A : vel ducem, vel comitem famæ sum satur. B : vel ducem, vel comitem. Famæ sum satur

DE MIRO PER AERA VEHENDI MODO (I)

- *scripsit Gaius Licoppe -*

Paucis annis ante Regni Francogallici eversionem, homo primum valuit se in aerem levare. Fratres enim de Montgolfier, qui papyri fabricationem in Francogallia renovaverant, ingentem follem ex papyro confecerunt, quem, subdito igne, aer calefactus mense Iunio anni 1783 sursum traxit. Volatum suæ machinæ vocaverunt « aerostaticum », unde factum est vocabulum « aerostatum », quo huius generis machinæ postea designatae sunt.

De hoc miraculo certior factus, rex Ludovicus XVI rem suis oculis videre voluit, id quod mense Septembri factum est in cavædio palatii Versaliensis. Hoc prospéro experimento incitati, fratres Montgolfierii maiorem follem pulcherrime ornatum fabricaverunt, quo homines in aera tolli possent. Die 21 m. Novembris eiusdem anni, duo viri voluntarii primum volatum humanum fecerunt, duobus hominum milibus spectantibus. Illi ascenderunt usque ad 900 metra et circiter viginti quinque minutæ in aere valuerunt stare. Hanc novam machinam Latine descriptis I. Tartuffius in libro c.t. *Montgolfierii machina volans* (1793). Fratres tamen Montgolfierii physicam causam follis ascensionis non intellexerant ; putabant eam esse quandam vim fumi !

Aliud vero facinus, quamquam maximi momenti, multo minus notum est. Physicus Iacobus Charles et machinator Natalis Robert eodem tempore fabricaverant ingentem globum, quem « gaso subtili » (quod nondum vocabatur hydrogenium), aere multo leviore, inflaverunt. Decem tantum diebus post primum volatum humanum, secundus volatus humanus hac machina factus est coram compluribus centenis milibus hominum et Beniamino Franklin, legato Americanorum sui iuris factorum. « Aerostatum » est nomen generale quo postea designatae sunt hæ novæ machinæ.

Mirum iam erat in aerem sublevari, sed aerostati vectori nulla erat facultas gubernandi ; quo flabat ventus, eo propellebatur aerostatum. Hæc tamen machina talis, qualis erat, nonnullos usus habuit, sicut anno 1794 in re militari. Francogalli enim, recentis rei publicæ propugnatores, in prælio cum Austris apud Floriaco (v. Fleurus) commisso de huius modi aerostato fune retento motus hostium perutiliter observare valuerunt.

Fatendum est per totum undevicesimum sæculum vix quicquam mutatum esse in usu follium volantium, cum nihil in promptu esset quo suo Marte propelli possent.

Tunc tamen non defuerunt rei aeronauticæ somnatores, quorum nonnulli experimenta saepe letalia fecerunt. Unum ex his experimentis dignum est, quod nar-

retur. Henricus Giffard, Francogallus fabricator motorum vaporariorum, huius modi motrum confecit aerostato aptatum. Anno 1852 coram magna spectatorum multitudine eius aerostatum ab hippodromo Parisiensi in sublime se levavit, unde, motro trium equorum-vaporariorum propulsu, celeritate novem chiliometrorum horalium cursum suum incohavit ; Henricus Giffard, qui post volatum 27 chiliometrorum incolumis in agrum appulerat, primum volatum propulsu sic perfecit.

Vaporaria tamen motra, quæ combustionē externa aguntur, nimis gravia erant quam ut aerostatis efficaciter aptari possent. Exeunte undevicesimo sæculo fabricari copta sunt motra combustionē interna acta, quæ multo leviora erant quam motra vaporaria potius navibus traminibusque propellendis apta. Quare ineunte vicesimo sæculo somnium navigationis aeriæ paulatim fieri potuit res.

Oportebat aerinavem aerostaticam fusi formam habere quo per aerem facilius moveretur ; necesse etiam erat eius gasi capacitatē satis magnam esse ut motra et vectores sublevarē posset, itemque eius structuram satis solidam esse ne volando distorqueretur. Tria genera aerostatorum regibilem distinguuntur. Primum genus est simplex : involucrum habet formam fusi, sed cum sit molle tantum minima navicella ei suspendi potest. Secundum genus dicitur semirigidum : eius pars rigida, quæ constat e navicella, motro et gubernaculo, hæret involucro multis funibus alligata. In tertio genere, aerostatum regibile habet rigidam carinam metallicam, qua continentur complures molles cellæ levi gaso inflatæ ; gubernacula verticalia et horizontalia, motra et navicella in carina sunt fixa.

Anno 1902, fratres Lebaudy, Francogalli, primam machinam ad quendam usum aptam fabricaverunt ; quæ ad secundum genus pertinebat. Motro Daimler 40 equorum vaporariorum propellebatur usque ad celeritatem 40 chiliometrorum horalium atque, quacumque tempestate, regibilis manebat ; quamquam parva navicella duos tantum homines accipere poterat, complures huius modi machinæ ab exercitu Francogallico sunt acquisitæ.

Anno 1891 advenit Lutetiam Parisiorum iuvenis locuplesque Brasiliensis rerum aeronauticarum studiosissimus, Albertus Santos-Dumont ; in eius patria infeliciter hæ res nugæ habebantur. Idem permultas ascensiones fecit aerostato sublatus, sed in animo habebat aerostatum regibile exstruere. Re anno 1898 perfecta, eius aerostatum 1 numero primum volatum experiri debebat se levando e Nemore Bononiensi... at in arbores subito vento præcipitatum statim confractum

est. Vir tamen animo se non demisit atque nova aerostata, parva et primi generis, construxit, quibus supra Parisina tecta volare solebat. Celeriter crevit eius fama et Lutetiæ et in Brasilia. Ille vir elegantiæ suavitatisque exoticæ plenus Parisinis multum placebat.


Anno 1900, occasione cuiusdam coetus Aerii Sodalicii Parisini, magnarius petrolei, Henricus Deutsch de la Meurthe nomine, nuntiavit se præmium centum milium francorum oblaturum esse ei, qui primus valeret intra semihoram a Parisino vico Saint Cloud ad turrim Eiffelianam volare, eam circumire et eo reverti unde profectus erat. Hoc præmium mereri valde cupiebat Albertus Santos-Dumont. Dum aerostato 5 numero vectus hunc circuitum explorat, motrum inopinanter stetit atque aerostatum se impegit in arbores prædii de Rothschild. Quidam famulus advenit cum scalis, quibus Albertus incolumis de arboris cacumine descendit. Aerostato 5 numero refecto, Albertus experiri perrexit, sed iterum aliquid inexspectatum accidit. Clipeo involucri deficiente, gasum effugit et aerostatum iam non regibile cecidit in multizonium vici Trocadero ; involucrum dilaceratum est atque navicella miserabiliter pendebat contra superiora tabulata ; Albertus iterum incolumis valuit se in marginem cuiusdam fenestræ tollere, unde siphonarii altis scalis

eum receperunt, plaudente spectatorum turba.

His infortuniis non demissus Albertus aerostatum 6 numero fabricandum curavit. Die 19 m. Octobris anno 1901 temptamentum officiale fecit. Imprimis celerrime ad turrim Eiffelianam pervenit vento secundo adiutus ; in reditu autem contra ventum erat procedendum. Motrum tum deficere cœpit. Multitudo spectatorum obstupefacta vidit Albertum e navicella exire, supra trabem ad motrum ambulare, quod brevi restituit. Dein maxima celeritate vectus, in vicum Saint Cloud pervenit 29 minutis et 30 secundis post temptamenti initium. « Vicine ? Obsecro vos, respondete ! » clamavit. « Ita ! » una voce clamabat multitudo, sed alter censebant iudices ; nam una minuta addenda erat, tempus necessarium ad appellendum. Iratissima tamen multitudo clamabat : « Date ei præmium ! Vivat parvulus Santos ! ». Idem censebat Henricus Deutsch de la Meurthe. Post longam controversiam Albertus tamen victor proclamatus est præmiumque accepit, quod sibi non servavit sed Lutetiæ pauperibus distribuit.

Hic est quasi finis ætatis heroicæ aerostatorum regibilium. Iam appropinquat primum bellum mundanum, cuius causa progressus facti sunt. ■■■

(*continuabitur*)



Aerostatum regibile « Lebaudy » anno 1903 admirari licuit inter Parisinam Exhibitionem.

In hoc fasciculo !

Lingua Latina in Museo Erasmi per se illustrata [F. Deraedt] p. 1

Recordatio aestiva [G. Licoppe] p. 2

De renovata Brendani navigatione (II) [G. Licoppe] p. 3

Cambosia (II) [A. Vanautgaerden] p. 6

Austria quid in Asiæ antiquitatibus Latine describendis contulerit [V. Jenniges] p. 8

Flosculi Erasmi (I) [A. Vanautgaerden] p. 12

De miro per aera vebendi modo (I) [G. Licoppe] p. 15

DE LINGVA LATINA COMMENTATIO FRANCOGALLICE CONSCRIPTA :

G. LICOPPE, *Le latin et le politique. Les avatars du latin à travers les âges*,
Bruxelles, Musée de la Maison d'Érasme, 2003, 62 pp.

Hoc opusculum conspectum præbet florentis vitæ linguæ Latinæ
intra duo millennia, atque monstrat eam falso dictam esse mortuam
ab eis, quibus profuit eius usum extinguere.

Qui libellus apud Melissam emi potest pretio decem euronum.

